



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXXXIV. De delectatione copulæ tempore matrimonii habitæ, vel  
habendæ, & resistentiæ pravorum naturæ motuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

hiberi ejusmodi turpes Comœdias, peccare mortaliter docet *Hurt.* præfertim si, ut ait *Bald.* iuctoritatem illis præstent, vel foveant; Spectatio tamen Comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, litteræ, & dona amatoria, si tantùm fiant ex curiositate, vel vano solatio, non esse mortalia docent *Sanch. Fill. La Croix,* aliique; secùs tamen si fiant vel animo inhonesto, sive venereo, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum.

Infertur 2. Idem dicendum esse de pingentibus turpia, & turpiter

expressa, incitantia ad libidinem; quia & isti sunt ruina proximi.

Infertur 3. Legentes libros turpes, & tractantes de obscœnis amoribus ob solam vanam curiositatem, aut vanum solatium, peccare duntaxat venialiter, ut cum alijs tradit *Sanch. l. c.* mortaliter verò delinquere, si intendatur delectatio venerea consurgens ex ipsis rebus turpibus, & lascivis apprehensis.

## CASUS LXXXIV.

*De delectatione copulæ tempore matrimonii habitæ, vel habendæ, & resistentia pravorum naturæ motuum.*

**P**Imperlinus mortua uxore relictus viduus sæpè morosè delectatur de copula habitæ tempore matrimonii, vel etiam de futura conjugali, insurgentibus non nunquam pravis naturæ motibus, quorum delectationem non reprimit, sed negativè se habens eam permittit citra consensum.

*QUÆR. I. An licita sit viduis delectatio de copula tempore matrimonii habitæ?*

*QUÆR. II. An sponsis de futuro liceat delectatio captata ex futuræ copulæ conjugalis cogitatione?*

*QUÆR.*

QUÆR. III. An, & quale peccatum sit, si quis in motibus venereis ita negativè se habeat, ut neque consentiat, neque positivè resistat, sed quasi permissivè se habeat?

490 **A**D I. Q. Videtur affirmativè respondendum ex his rationibus. Primò, quia ejusdem bonitatis & malitiæ est operatio, & ejus delectatio, teste Aristotil. l. 10. Et hic, cap. 3. & cap. 5. sed operatio, quam delectatio habet pro objecto, licita est: ergo & delectatio.

2. Quia conjugibus licitum est, delectari de copula tunc habita, quia delectantur de objecto bono, sed idem est objectum etiam tunc cum vidui sunt: ergo licet de eodem delectari; quia diversitas temporum speciem moralem non variat, si in objectis non sit variatio.

3. Quia delectari de copula est copulam approbare, & de illa gaudere; sed gaudium, & approbatio licita est: ergo licita est & delectatio. Ita sentire videntur Sylvest. V. delectatio. q. 3. Medina q. 74. a. 3. dub. 2. Cajetan. V. delectatio Palud. & alii.

491 Nihilominus dicendum est, peccare mortaliter viduos admittentes delectationem veneream, ac sensitivam ortam ex cogitatione copulae habitae tempore matrimonii. Ita Vasq. D. 114. c. 2. Salas D. 6. S. 30. Navar, cap. 16. n. 6.

Bonac. q. 4. de matr. pan. 8. n. 13. Sanch. l. 9. D. 47. n. 7. Azor. l. 4. c. 6. q. 7. Palao tr. 2. D. 2. p. 10. §. 2. Less. l. 4. c. 3. dub. 15. n. 120. Tanner. D. 4. q. 8. dub. 7. Cordub. Lop. Vega, aliique. Ratio est, quia talis delectatio non sumit suam bonitatem, vel malitiam ab objecto præterito, quod bonum quidem est, sed ex oppositione, quam de præsentem habet cum virtute castitatis, eò quòd de præsentem excitet, & commoveat spiritus subtervientes generationi, & pollutionis præsentem initium sit; actus quippe appetitus sensitivi semper fertur in copulam præsentem, ut præsentem cum præsentem commotione, & ad illam ordinatur, estque quædam ipsius inchoatio, ut dictum est supra: atqui copula præsentem solis conjugatis licita est: ergo. Unde

Ad rationes in contrarium R. ad 1. ejusdem quidem bonitatis, vel malitiæ esse delectationem cum operatione, quam habet pro objecto: at objectum delectationis non est copula præterita, ut præterita, sed quatenus vi apprehensionis modò sit præsentem, & quasi modò sit exercita, quæ cum de præsentem illicita sit, illicita quoque est ejus delectatio, quæ, licet sit de copula licita, causat tamen illicitam

citam de præfenti. Ad id, quod additur, verum quidem est, quòd differentia temporum non variet speciem moralem; at ipsa delectatio non respicit copulam ut præteritam, sed ut præfentem, ut dictum est.

Ad 2. Negatur, conjugibus ideò duntaxat licitum esse delectari de copula tunc habita, quia delectantur de objecto bono, sed quia delectationes non sunt tunc prohibitæ; cum enim eis licita tunc sit ipsa copula, licita esse debet causa illius, quæ ratio non pugnat pro viduis.

Ad 3. Negatur pariter delectari de copula esse formaliter copulam approbare, aut de illa utcumque gaudere, nam in omni sententia licitum est viduæ, gaudere, quòd debitum marito reddiderit, quia hic actus totam suam bonitatem, & malitiam lumit per ordinem ad objectum, sicut actus desiderii & voluntatis efficacis; delectatio verò inefficax appetitûs sensitivi, cum non respiciat objectum, ut præteritum, sed suo modo abstrahat ab illo, ejus malitia, & bonitas non per ordinem ad objectum, ex quo originem sumpsit, sed ex effectu, quem causat, desumenda est; cum autem delectatio de copula licita causet illicitam, quia causat copulam de præfenti, quæ illicita

est, delectatio quoque illicita erit.

Ad 2. Q. Non nulli cum Medina 1. 2. q. 74. a. 8. dub. 3. Victor, Zumel & aliis opinantur, non peccare sponsum, saltem graviter, qui delectatur in appetitu sensitivo in cogitatione copulæ tempore matrimonii habendæ, dummodo absit periculum pollutionis, & consensus in aliquod peccatum mortale. Probant iisdem ferè rationibus supra indicatis in opinione priori. Primò, quia ea delectatio est de objecto licito; talis autem est delectatio, quale est objectum. 2. Quia ideò licet conjugibus delectatio appetitûs sensitivi consurgens ex cognitione copulæ præteritæ, aut futuræ, quia est delectatio de copula licita. 3. Quia licitum est tibi delectari de distributione pecuniæ alienæ pro tempore, quo tua est futura: vel sub conditione, si esset tua: ergo à pari.

Verùm tenendum est oppositum, & dicendum, id minimè licere sponfis de futuro, sed peccatum lethale esse, captare delectationem appetitûs sensitivi in copula futura habenda tempore conjugii. Ratio supra est indicata, quia actus appetitûs sensitivi temper fertur in copulam præfentem, ut præfentem cum præfente commotione spirituum genitalium, & ad

ad illam ordinatur, estque quaedam illius inchoatio. Quae proinde delectatio non sumit suam bonitatem, vel malitiam ex objecto tempore matrimonii, quod quidem bonum est, sed ex oppositione, quam de praesenti habet, cum virtute castitatis, ut dictum est.

Et Confirm. quia sicut externa delectatio venerea, quam constans matrimonium minime honestat, est lethalis; ita interna, quae ejusdem est rationis; ejus quippe malitia, aut bonitas aestimanda non est ex copula futura, sed ex praesenti, ad quam tendit, & cujus est inchoatio. Unde

Ad fundamenta contraria R. ad 1. patet responsio ex dictis, eam scilicet delectationem non esse de objecto licito, quia ea delectatio sensitiva cum praesenti commotione non respicit copulam tanquam futuram, sed tanquam praesentem, quae tunc est illicita.

Ad 2. Colligitur iterum responsio ex dictis, scilicet, conjugibus licitam esse copulam praesentem, quam delectatio illa respicit, & ideo eis licitam esse etiam delectationem; secus se res habet in sponsis de futuro,

Ad 3. R. aliquas esse res, quae habent deformitatem secundum eam rationem, secundum quam delectant, dum absens est condi-

*R. P. Leonardelli Soc. Jesu.*

tio, ut sunt venereae, quia talis delectatio tendit ad concubitum praesentem; hoc autem non contingit in aliis rebus non habentibus ejusmodi deformitatem secundum rationem, quam delectant, qualis etiam est distributio pecuniae alienae sub ea conditione, auferente omnem malitiam ab objecto.

Ad 3. Q. Nota voluntatem <sup>493</sup> dupliciter consentire posse delectationi appetitus sensitivi, seu pravis naturae motibus. Primum illos expressè appetendo, & in illis se se delectando, & de hac voluntate nemo dubitat, peccatum esse mortale. Secundò consentire posse tacitè, & virtualiter quatenus non reprimat, neque coërcet, cum possit; & de hac voluntate controversatur, an sufficiat, ut pravi motus appetitus sensitivi sint peccata mortalia, si non reprimantur positivè, seu si voluntas neque reprimat, neque acceptet delectationem, sed negativè solum se habeat eos permittendo, secluso etiam consensu in delectationem. Ubi

Prima sententia affirmat, nisi <sup>494</sup> justa causa excuset, culpam esse lethalem, etiam cessante consensu periculo, si ejusmodi turpes motus non reprimantur positivè, saltem per actum simplicis displicentiae, qui quamvis sit inefficax ad impediendam dele-

Yyy

cta-

stationem, saltem sit certò efficax ad cohibendam voluntatem, ne in illam delectationem consentiat. Ita Vasq. 1. 2. D. 108. s. 2. D. Anton. p. 2. tit. 5. c. 1. §. 5. Medina q. 74. a. 5. & 6. Sayrus l. 8. cap. 7. Petr. Ledesm. 2. p. Summ. c. 27. Cordub. l. 1. c. 23. dub. 11. Less. l. 4. c. 3. n. 117. Azor tom. 1. l. 4. c. 6. q. 7. & c. 21. q. 5. Arriag. d. 46. n. 26. Amicus D. 17. n. 284. Platel. n. 236. Tanner. D. 4. q. 8. dub. 4. Valentia 1. 2. D. 6. q. 4. p. 3. dicens communiter receptam. Rationem dant, quia voluntas tenetur regere appetitum sensitivum, & omnes alias potentias, ne pugnent contra rationem, saltem quando absque magna difficultate potest, cum sit domina, & Regina potentiarum constituta: ergo cum tales pravi motus appetitûs sensitivi sint deordinatio quædam contra rectam rationem, si se, non opponat resistendo, non satisfacit suæ obligationi, cumque sit materia gravis, graviter delinquet.

2. Quia si voluntas in ejusmodi motus expressè consentiret, juxta omnes peccaret graviter: ergo etiam peccabit, si virtualiter consentiat, quia consensus tacitus, & expressus pro eodem reputantur, ex l. de de quibus, ff. de legibus, & l. cum quid, ff. si certum petatur. Unde omittere

resistentiam, & displicentiam circa tales motus esset, inquit Oviedo t. 6. contrav. 4. p. 3. æquivalenter velle illos, quod utique est mortale. Accedit quòd vix distingui possit, an voluntas se negativè habeat, anue positivè consentiat; nam cum appetitus secum trahat voluntatem, difficilè est discernere, consentiente appetitu, voluntatem non consentire; delectatio enim sensûs in voluntatem derivatur, sicut cognitio sensûs in intellectum, atque ita per quamdam consensionem cum illo delectetur, ut adeò nunquam, vel rarò accidat, voluntatem se negativè habere, dum appetitus sensitivus delectatur.

3. Quia velle hos motus, & delectationes inde consurgentes ideò est peccatum lethale, quia hæ delectationes sunt initium, & causa pollutionis, vel coitûs: atqui sive causa apponatur expressè, sive tantum interpretativè, eodem modo sunt initium, & causa pollutionis, vel coitûs: ergo eodem modo erunt peccata; cum consensus interpretativus sit verus consensus.

Secunda sententia docet per se loquendo non peccare mortaliter voluntatem, quæ non reprimat hos turpes motus, sed merè negativè se habet, illos per-

mit.

mittendo, dummodo is, qui illos patitur, experiatur in se tam firmum non consentiendi propositum, ut periculo consensûs minimè exponatur, & idcirco eos reprimere non curet.

Ita sentiunt complures cum Cajetano 1. 2. q. 74. a. 3. & in Sum. V. delectatio, Navar. c. 11. n. 9. & c. 16. n. 9. Soto in 4. d. 12. q. 1. a. 7. Adrian. in 4. q. 5. Armill. V. cogitatio, Conrad. q. 74. a. 4. Tolet. Gorsion, Graff. Angl. aliique, quorum sententiam communiorem vocat Sanch. l. 1. c. 2. n. 13. & probabiliorem Palao tr. 2. D. 2. §. 5. n. 3. Ratio potissima hujus sententiæ est, quia cum ejusmodi motus ob corruptionem naturæ facillimè, & frequentissimè oriantur naturaliter, ita ut omnes coërcere sit impossibile, aliquos difficillimum, non est credendum de divina bonitate salutem æternam hominum his periculis exposuisse, quibus esset exposita, si, cum natura sit in malum proclivis, tenerentur homines non solum non admittere hos motus, sed eos naturaliter subortos etiam reprimere, & coërcere sub gravi obligatione. 2. Quia non tenemur ejusmodi motus præcavere sub gravi obligatione, aliàs peccaret mortaliter, qui non evitat causas, ex quibus cognoscit ejusmodi motus prava insurgere; si enim postquam excitati sunt, tenemur

illos sub tanta obligatione reprimere, & coërcere, à fortiori tenebimur sub eadem obligatione impedire, ne excitentur. Atque adeò tenebitur quis sub mortali scēminam v. g. non alloqui, non aspicere, aliique similia omittere, quæ etiam juxta Patronos sententiæ oppositæ vel bona sunt, vel solum venialia.

Unde ad argumenta contrariæ sententiæ respondent.

Ad primum, satis esse appetitum ita gubernari à voluntate, ut ipsa in ejus actus inordinatos non consentiat.

Ad 2. Admittunt quidem idem esse judicium taciti, & expressi in contractibus propter præsumptum consentum; negant autem in peccatis; nunquam enim licet tibi aliorum peccata velle; licet tamen quandoque illa non impedire, & Deus peccata permittit, non tamen illa vult. Quare consensus hic tacitus, qui solum est permissio, non est propriè dicendus consensus voluntatis; cum hæc, quantum est de se, illos non velit; neque consensus virtualis, aut interpretativus, quia hic consensus colligitur ex animo formali, qui tamen est non consentiendi.

Ad 3. Concedunt, velle hos turpes motus, illósque procurare,

Y y 2

rare, peccatum esse mortale, quia initium sunt, & causa pollutionis; negant tamen eos permittere esse mortale, quia aliud est velle causam pollutionis, aliud illam à natura proventem permittere; qui enim permittit causam pollutionis à natura proventem, non dicitur illius causa: at qui illam vult, causa illius est.

495 Hæc ultima sententia quatenus negat, peccatum esse mortale non resistere, speculativè loquendo videtur probabilior; practicè tamen tenenda est opposita, uti notat etiam Sanch. quando post plenam deliberationem nullus actus contrarius est in voluntate, nec quidem displicentiæ talis, quæ licet sit inefficax ad reprimendum appetitum, sit tamen efficax ad cohibendum liberum voluntatis consensum; tum quia aliàs voluntas terè semper exponitur proximo periculo consensûs; vel pollutionis; non enim usque adeò homo voluntati prædominatur, ut absque omni periculo circa objectum rectè cognitum, & vehementer alliciens, omnem actum suspendere valeat, quamdiu appetitus delectatione afficitur: Tum quia quando quis potest facilè resistere positivè (v. g. convertendo cogitationes ad aliud objectum, aut magis attendendo ad id, quod agit, aut actum

displicentiæ eliciendo &c.) qui id facere omittit, convincitur non illibenter habere tales motus, essetque de se nimia fiducia, & præsumptio, inquit Sanch. l. c. credere tunc non adesse formale periculum consentiendi in delectationem, ac proinde, Deo in superbæ pœnam id permittente, certior lapsus sperari possit. Tum denique quia opposita sententia aperit viam magnæ libertati conscientiarum, & animarum periculis; quàm enim facilè est, ut quisque sibi persuadeat nullum adesse periculum peculiare consentiendi positivè, quando minimè abest. Aque adeò etiam ex eo in praxi tenenda est sententia, quæ aliquam requirit resistentiam, quòd etiam plerique ex adversariis dicant, tunc non resistere peccatum esse veniale, ut videre est apud Palaum l. c. & Sanch. & quamvis materia hîc sit de se gravis, attamen non resistere positivè habet uti levis negligentia circa illam, vel tepidè resistere tentationi.

Notat autem hîc Bonæ-spei cum aliis *d. 10. n. 26.* si ejusmodi motus sint leves, meliùs esse contemnere sine positiva resistentia, & facere id, quod aliàs fecisset, quia tunc non est facile periculum consensûs, & communiter magis crescunt ejusmodi motus, si adhibeatur reflexa resistentia,



tia, quia ubi major est sollicitudo, imaginatio magis defigitur in tali objecto, per imaginationem autem maximè augentur.

Dixi suprà absque rationabili & justa causa; nam si ob causam necessariam, vel utilem tibi aut alteri non reprimis ejusmodi motus, quales sunt audire confessio-

nes, legere, & Studere, equitare, timor incidendi in turpiores delectationes, vehementioris, ac urgentioris tentationis &c. nullum peccatum committis, modò absit periculum consensùs, ut notant Azor, Salas, Sanch.

Palao, Vasque & alii citati.

## CASUS LXXXV.

### *De pollutione nocturna in vigilia reprimenda &c.*

**F**abronius nobilis vir comedens quosdam cibos calidos, & certo situ accumbens in lecto incidit non nunquam in pollutionem in somnis, quam, dum evigilat, non reprimat, sed permittit. Non nunquam de ea in somnis habita etiam gaudet, aut eam in somno evenientem desiderat.

*QUÆR. I. An pollutio, qua incipit in somnis, sit sub gravi obligatione in vigilia reprimenda?*

*QUÆR. II. An Fabronius abstinere debeat ab ejusmodi cibis, & taliter accumbendi situm mutare?*

*QUÆR. III. An peccatum mortale sit desiderare pollutionem in somnis, & de ea in somnis habita gaudere?*

496 **A**D I. Q. An pollutio in somnis coepta sit sub gravi obligatione in vigilia reprimenda? Respondet Toletus l. 5. cap. 13, cum pollutio incipit in som-

nis, ita ut effusio seminis partim fiat in somno, partim in vigilia, peccatum esse veniale, si homo habeat aliquem rationis usum, & potestatem se cohibendi, saltem im-

Xyy 3 per-